

Aug. lib. 1.  
de doctrin.  
Chiristiana  
cap. 4. c.  
De rebus,  
quibusvis de Augustinus in eodem : Utendum est hoc mundo, non fruendum: ut inuisibilia Dei  
dum est, per ea, quae facta sunt, intellecta, conspiciantur, id est, ut de temporalibus, aeterna ca-  
pientur. Item in eodem : In omnibus rebus illa tantum sint, quibus fruendum est, qua-  
aeterna, & incommutabiles sunt. Ceteris autem utendum est, ut ad illarum perfruicio-  
nem perueniat. Idem Augustinus in decimo libro de Trinitate: Fruimur cognitis,  
in quibus ipsis propter se voluntas delectata conquiescit. Utimur vero eis, quae ad ali-  
ud referimus, quo, fruendum est.

## C

*Item quid interfit inter frui, & uti, aliter quam supra.*

Notandum vero, quod idem Augustinus in libro decimo de Trinitate, aliter, quam  
supra accipiens uti, & frui, sic dicit: Vt est assumere aliquid in facultatem voluntatis.  
Frui autem est uti cum gaudio non adhuc spei, sed iam rei, ideoque omnis, qui fruatur,  
vitatur. Assumit enim aliquid in facultatem voluntatis, cum fine delectationis. Non  
autem omnis, qui vitatur, & fruatur: si id, quod in facultatem voluntatis assumit, non  
propter ipsum, sed propter aliud appetit. Et attende, quia videtur Augustinus dicere il-  
los frui tantum, qui in re gaudent, non iam in spe. & ita in hac vita non videmur frui,  
sed tantum uti, ubi gaudemus in specie, cum supra dictum sit, frui esse amore inhaerere ali-  
qui rei propter se, qualiter etiam hic multi adhaerent Deo.

## D

*Determinatio eorum, quae videntur contraria.*

1. Cor. 15.  
Aut. de do-  
ctrina  
Chiristiana  
lib. 1. c. 31. c.  
2. Cor. 17. d. Hac ergo, quae sibi contradicere videntur, sic determinamus: dicentes nos, & hic &  
in futuro frui, sed ibi propriè, & perfectè, & plenè, vbi per speciem videbimus, quo fru-  
mur: hic autem dum in spe ambulamus, fruimur quidem, sed non adeo plenè. Unde  
in libro decimo de Trinitate: Fruimur cognitis, in quibus voluntas est. Idem in libro  
de doctrina Chiristiana ait: Angeli illo fruenter iam beati sunt, quo, & nos frui deside-  
ramus: & quantum in hac vita iam fruimur, vel per speculum, vel in anigmate: tanto  
nostram peregrinationem, & tolerabilius sustinemus, & ardentius finiri cupimus.

## E

*Alia determinatio.*

An de do-  
ctrina  
Chiristiana  
lib. 1. c. 31. c.  
Iust. 17. a. Potest etiam dici, quod qui fruatur etiam in hac vita, non tantum habet gaudium  
speci, sed etiam rei: quia iam delectatur in eo, quod diligit, & ita iam rem aliquatenus  
tenet. Constat igitur, quod debemus Deo frui, & non uti. illo enim (vt ait Augustinus)  
frueris, quo efficeris beatus, & in quo speciem ponis, vt ad peruenias. De hoc idem  
ait libro primo, de doctrina Chiristiana: Dicimus nos ea frui, quam diligimus pro-  
pter se: & ea re fruendum nobis est tantum, qua efficiuntur beati: ceteris vero uten-  
dum. Frequenter tamen dicitur frui cum delectatione uti. Cum enim adest, quod diligitur,  
etiam delectationem secum gerit: si tamen per eam transieris, & ad illud ubi  
permanendum est, eam retuleris: yteris ea, & abusu, non propriè diceris frui. Si ve-  
ro inhæceris, atque permaneris, finem in eo ponens latitudine tua, tunc uerè, & propriè  
frui dicendus es: quod non est faciendum, nisi in illa trinitate, id est, summo, & incom-  
mutabili bono.

## F

*Vtrum hominibus sit utendum, vel fruendum.*

Cum autem homines, qui fruuntur, & vtuntur alijs rebus, res aliquæ sunt: queritur,  
vtrum frui debeant an uti, aut vtrunque. Ad quod si responderet Augustinus in libro de  
doctrina Chiristiana: Si propter se homo diligendus est, fruimur eo: si propter aliud,  
vtimur. Videtur autem mihi propter aliud diligendus. Quod enim propter se diligendu-  
m est, in eo constituitur beata vita, cuius etiam spes hoc tempore nos consolatur. In  
homine autem spes ponenda non est, quia maledictus est, qui hoc facit. Ergo si liquidè  
aduertas, nec seipso quisquam frui debet: quia non se debet diligere, propter se, sed pro-  
pter illud, quo fruendum est. Huic autem contrarium videtur, quod Apostolus ad Phi-  
lemonem loquens, ait: Ita frater ego te fruar in domino. Quod ita determinat Augu-  
stinus: Si dixisset tantum, te fruar, & non addidisset, in domino, uideretur finem \*dilec-  
tionis, ac spem constituisse in eo. Sed quia illud addidit, in domino se finem posuisse,  
codemque frui significauit. Cum enim (vt idem Augustinus ait) homine in Deo, frue-  
ris, Deo potius quam homine crucis.

\* dilecta-  
tionis.

Hic